



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus  
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione  
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90392140**

Q. 4. Quandonam admittitur peccatum Omissionis?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40986**

ſio omiſſionis actûs præcepti; & ſuppoſita voluntate omittendi actum præceptum alius actus materialiter, & per accidens ſe habet ad omiſſionem, & nullo modo in eam influit.

Q. 4. *Quandonam admittitur peccatum Omiſſionis?*

*Reſp. I.* Peccatum Omiſſionis externum admittitur eo ſolo tempore, quo urget præceptum faciendi actum: quia hoc peccatum conſiſtit in omiſſione actûs debiti ex præcepto: at actus non eſt debitus, niſi eo tempore, quo ſervandum eſt præceptum. Internum verò committitur, dum quis expreſſè, aut virtualiter, indirectè, vel interpretativè, vult omittere actum præceptum; nam tunc ponitur voluntas violandi præceptum.

*Reſp. II.* Qui ponit cauſam, ex qua prævidet probabiliter ſecuturam omiſſionem, tunc peccat, & contrahit malitiam omiſſionis: quia qui ponit cauſam omiſſionis, vult indirectè, vel ſaltem interpretativè ipſam omiſſionem: qui enim vult cauſam, cenſetur velle effectum, qui ex illa ſequitur. Præterea eodem præcepto, quo vetatur omiſſio, prohibetur etiam poſitio libera cauſæ illius. Hinc qui die Feſto manè ſe ſomno tradit, prævidens ſe ſomno ſepultum iri tempore ultimi ſacri, tunc peccat contra

re-

religionem; etiam si per accidens excite-  
tur, & postea sacrum audiat. Nam tunc  
habuit voluntatem, saltem interpretati-  
vam, ac virtualem omittendi sacrum, quam-  
vis postea eam mutaverit.

Idem dic de eo, qui scienter, aut non  
nisi cum ignorantia, vel inadvertantia cul-  
pabili, exponit se morali periculo omitten-  
tendi: nam tunc contrahit totam maliti-  
am omissionis, licet postea omissio non  
sequatur; quia sic exponendo se morali  
periculo omittendi saltem interpretativè  
voluit omissionem. Quòd si is, qui posuit  
causam omissionis, vel exposuit se morali  
periculo omittendi, postea possit præcep-  
tum, dum urget, implere; desistendo ab  
opere impossibili, non implens præ-  
ceptum denuò peccat peccato omissionis;  
& tunc omissio ejus est in se libera eo mo-  
do, quo actus externus liber esse potest:  
quia tunc denuò vult saltem indirectè ip-  
sam omissionem actualem. Porro non  
contrahitur censura, nisi eo tempore, quo  
actus ex præcepto faciendus est: nam tunc  
solum ponitur omissio externa, cui anne-  
xa est.

*Resp.* III. Probabile est, eum, qui posuit  
omissionis causam, qua factus est impotens  
ad implendum præceptum, peccare non so-  
lum, quando posuit illam causam, sed etiam  
dum re ipsa actum præceptum omittit, si  
non retractet ejus causam culpabilem, cum  
potest.

potest. Sic Sacerdos, qui Breviarium in mare liberè projecit, unde factus est impotens ad illud recitandum, non solum peccavit projiciendo, sed etiam singulis diebus denuò peccat non recitando, quamdiu priorem culpam non retractat. Item qui ante sacrum longæ viæ sine necessitate se dedit, unde factus est impotens ad audiendum sacrum, peccat contra religionem non solum cum se dedit longæ viæ prævidens impotentiam audiendi sacrum inde secuturam, sed etiam postea, dum celebratur sacrum, nisi tunc eliciat contritionem. Ratio est quia omissio actualis est imputabilis voluntati, quamdiu est voluntaria in causa non retractata, quæ possit retractari: tamdiu enim liberè continuatur, & ponitur voluntariè omissio, quamdiu potest retractari ejus causa, & non retractatur; nam est tunc in potestate hominis efficere, ne sit ampliùs voluntaria, ac moralis.

*Sed quid si homo non possit retractare causam culpabilem omissionis, ut fit in somno, vel ebrietate: An peccat non solum quando posuit causam, sed etiam cum præceptum urget?*

*Resp.* Alii affirmant, eò quòd talis omissio sit illi sufficienter voluntaria in causa non retractata. Alii probabiliùs negant do-

docentes talem omissionem nil per se malitiæ imputabilis addere culpabili positioni causæ ejus, eò quòd tunc ommissio non sit voluntaria, & libera nisi in causa; & voluntas tempore omissionis non continueatur liberè, nec ullum exercitium liberum habeat, cum ne possit quidem ejus causam retractare.

Cæterùm necesse est omnes omnino omissiones actuales confiteri, & non tantùm causam earum culpabilem. Nam ex praxi perpetua fidelium, ex qua necessitas materiæ Confessionis potius, quàm ex principiis metaphysicis metienda est, constat, actiones, & omissiones in causa mortaliter culpabiles esse necessariò confitendas, sive illæ secundùm se peccata sint, sive solum effectus, & objecta peccati in causa liberè posita commissi. Præterea id etiam necessarium est, vel ad explicandam, sicut oportet, peccati gravitatem, vel ad detegendum damnum tertii, obligationem restituendi, &c. Vel ob periculum reservationis, aut censuræ.

## CAPUT IV.

### *De ignorantia, & ejus Peccatis.*

Q. 1. **Q**uid est Ignorantia, & quotu-  
plex?

*Resp.*